UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Peregrinvs terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Amor ferventissimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49469

Visual Library

Præterea *ſemper mobiles*, quia ſemper *volabant*, & *velabant*. In via corporali, qui velatus incedit, non videt, & cadit: Sed in motu animæ, qui velatus eſt propriâ confuſione, videt, ac ſecurus incedit; quia Deus, qui lux eſt, humilibus infunditur, & communicatur. Diſcite ergo volare & velare, & ſemper volantes amore Divino, ſemper eſſe velati velo peccatorum noſtrorum. Ita fac, ô Magiſtra Seraphinorum, glorioſa Regina, ut cor meum ſemper ſit mobile amore tui, & Filii tui. *Semper ardeat cor meum, in amando Chriſtum Deum. (S. Bern.)*

CONSIDERATIO III.

AMOR DEI,

Amor ferventiſſimus.

Secunda proprietas, Fervor eſt. Amor Seraphinorum non tantum eſt continuus, ac ſemper mobilis, ſed etiam intenſiſſimus, & ferventiſſimus. O fervor ſancti Amoris, ubi es? Vellem eum habere, ſed impedit corpus, impedit obſcuritas cognitionis, impedit fomes peccati, impediunt quotidiani defectus. Tunc aliqua facultas operatur ferventer, cùm operatur ſecundùm *ultimum & ſummum, quod poteſt.* (*S Thom.*) Sed quis poteſt operari, quantum eſt in viribus ejus, inter tot impedimenta?

Nihilominus non ceſſabo te amare, mi Deus: & quod defuerit actui, ſupplebo deſiderio, optando ut amor meus accendatur eo fervore, quo te amant Seraphini in cœlo; & cum eo tibi offero meum amorem, dicendo: Deſidero, mi Amor, totus uniri, abſorberi, & transformari in ſe, ſicut materia cum forma ſua, corpus cum anima, & omne perfectibile cum ſuo perfectione. Deſidero mente liberatâ mole corporis hujus, & illuſtratâ claritate Dei, videre ſempiternam pulchritudinem tuam. Deſidero, ut omnes homines, purgati ab omni labe culparum, ſemper dent gloriam ſuo Creatori.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Deſidero ſemper in omnibus rebus ſolum beneplaci- tum voluntatis divinæ. Cupio denique omnia bona Deo meo, interna per complacentiam, externa per de- ſiderium.

CONSIDERATIO IV.

AMOR DEI,

Amor ſuaviſſimus.

TErtia proprietas eſt Dulcedo, & ſuavitas Amoris Seraphici: quoniam non aliud eſt Amor, quàm *Deſiderium dulcedinis, Sapor ſuavitatis fruitio Divi- tatis*, & quanto magis amatur Deus, tanto plus gu- ſtatur de ſua divina dulcedine. O dulcedo, quàm parùm æſtimata, & multo minùs cognita mundo! & tamen una ſtilla tua ſuperat mare volupta- tum illius.

Audite rem miram, ſed veram. Date mihi cor huma- num, abundans omnibus deliciis mundi: & interro- gate illud. Satisne habeat, an plus deſideret dele- ctationis terrenæ. Protinus dicet, *Affer, affer*, non- dum ſatis eſt mihi, adhuc plura deſidero. Facite modò, ut in idipſum cor, in gratia Dei repoſitum, una ſolùm ſtilla defluat à cœlo conſolationis divinæ; & rurſus interrogate, an aliquid præterea terrenæ feli- citatis deſideret. Confeſtim dicet; Habeo satis; Deus eſt in corde meo, quid aliud in mundo poſſim expetere? Et tamen unica ſolùm ſtilla fuit, & una gutta cœleſtis dulcedinis. Quid erit ergo, cum flu- *minis impetus, & torrens voluptatis Dei* inundabit animam noſtram, ebriam Divino amore?

CO

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN